

Alexander in Patriarchatu Alexandrino successit Achilla anno cccxiii. & obiit die xvii. mensis Aprilis anni cccxxvi. post menses videlicet quinque a Concilio Nicæno primo Generali absoluto. Festum tamen ejus die xxvi. Aprilis, quo Henschenius in Actis Sanctorum vitam illius describit, celebratur. De duabus Synodis ab Alexandro Patriarcha Alexandrino adversus Arium coactis, & de illius Epistolis Encyclicis ad totius Orbis Episcopos contra illum Hæresiarcham datis satis jam in præcedentibus Colloquiis diximus, nec plura addere hic necessum est.

Alexandro Patriarchæ Alexandrino an. cccxxvi. demortuo successit Athanasius, qui inter Patriarchas Alexandrinos doctrina, sanctitate, rerum gestarum gloria, longaque pro fidei veritate certaminum adversus Hæreticos susceptorum serie celeberrimus habetur in universa Ecclesia. De hoc S. Doctore multa Severus Episcopus Aschmoninæ alique Scriptores Orientales memoriæ prodiderunt, literisque consignarunt, quæ, teste Cl. Renaudor, fabulam olent, & quæ subinde hic inferere supervacaneum omnino esset. Constat apud omnes, S. Athanasium multa ab Arianis pro Fide Catholica passum fuisse. Nam anno cccxxxvi. Treiros in exilium ab Imperatore Constantino Magno missus est, ubi, juxta Theodoretum, biennio, & mensibus quatuor mansit, atque inde ad suam Ecclesiam rediit non anno cccxxxvii. ut ait Valesius lib. I. Observationum Eccles. in Socratem cap. I. sed solum anno cccxxxviii. sicut probant Schelstratus, in Dissertatione prima de Sacro Antiocheno Concilio cap. I. & Pagius ad Annum Christi cccxxxviii. Athanasius a Julio Papa per literas Romam evocatus est an. cccxli. & ab Eusebianis eodem anno in Concilio Antiocheno sua Sede depositus fuit, & in ejus locum substitutus Gregorius Cappadox Arianus. Romam defensurus causam suam navigavit Athanasius an. cccxlii. & in communionem Julii Papæ, aliorumque Episcoporum Occidentalium, ceu legitimus Episcopus admittus est, atque in Concilio Sardicensi anno cccxlvii. indicto absolutus. Ad suam Ecclesiam Alexandrinam reversus est Athanasius anno cccxlix. quo, mense circiter Januario, Gregorius, qui Sedem Alexandrinam invaserat, mortuus est. Sed anno cccxvi. Georgio ab Arianis Episcopo Alexandrino creato, adhuc tamen non adventante, & Syriano Duce persecutionem movente, Alexandria in solitudinem fugit Athanasius die xxix. Februarii, sed paulo post fugam e solitudine Alexandriam reversus est, ubi delituit, usque dum Georgio adveniente, quæsitus ipse ad necem, denuo egredi coactus est, nec Alexandriam rediit, nisi post obitum Constantii Imperatoris anno cccxlii. quo anno Georgius Pseudo-Patriarcha Alexandrinus in seditione Populæ occisus est. A Juliano Imperatore in exilium rursus deportatus est Athanasius, sed a Joviano Juliano successore Sedi suæ fuit restitutus anno cccxlii. & eodem anno ad Jovianum religiosissimum Imperatorem definitionem Orthodoxæ fidei, de ea ab ipso rogatus, misit. Demum sub Imperatore Valente Ariano persecutionem in Or-

thodoxos excitante, delituit Athanasius per quatuor menses, sed postea ejusdem Imperatoris iustu Ecclesiam suam recepit, atque mortalitatem explevit anno cccclxxiii. postquam Ecclesiam Alexandrinam quadraginta & sex annos administrasset (a).

“(a) Fragmentum Chronici Athanasiani, cujus supra memini, reditum S. Athanasii e Romano itinere & partibus Italiæ constituit sub Consulatu Constantii IV. & Constantis III. die xxiv. mensis Pharphi, idest anno 346. Octobris xxi. Hæc tamen intelligenda sunt non de itinere Romano tantum, sed de exilio Trevirensi, & fortasse etiam de commoratione alicubi in Italia usque ad obitum Gregorii invasoris, quæ contigit post Concilium Sardicense. Ex quo ego olim in dissertatione, quam inferui in supplemento Conciliorum Labbei inferendam Sardicense Concilium celebratum fuisse non quidem anno 347. ut Chronologi tenent, sed anno 344. exeunte, vel 345. incipiente. Eam pariter ejusdem reditus Athanasii epocham figit S. Hieronymus in Chronico, & vetus inscriptio actorum ejusdem Concilii, quæ apud Surium legitur. His constitutis obitus Gregorii Cappadocis incidit in annum 345. Cætera quæ S. Athanasio contigerunt, fere coherent iis, quæ hic a me cursim tanguntur.

“Additur etiam in fragmento eodem de Petro, Athanasii successore, ordinatum fuisse Episcopum ante diem v. dormitionis sue Athanasii, additque de eodem: Ordinavit Petrus Episcopum de antiquis presbyteris, qui in omnibus eum secutus gessit Episcopatum. Post quem, pergit, Timotheus F. suus suscepit Episcopatum annis iv., post hunc Theophilus ex Diacono est Episcopus ordinatus; atque ita clauditur Opusculum. Antiquorum Presbyterorum nomine designari hic censeo Presbyteros illos qui ex veteri Alexandrinæ Ecclesiæ more Episcopo adiutores dabantur, qua de re Eutyechius in Originibus. Ex hoc vero fragmento inferre licet vana commentatum Seldenum in notis ad Eutyechium, dum ex eodem Eutychio exculpere nisus est Presbyteros hosce mortuo Episcopo absque nova ordinatione in successores defuncti transisse; quo exemplo opinionem suam stabilisse sibi visus est, Episcopatum scilicet non esse novum ordinem a Presbyteratu diversum ac distinctum. Hic enim habemus Petrum ex numero antiquorum Presbyterorum nova ordinatione indignis ut Episcopus fieret.

Petrus II. successit S. Athanasio, sed multa passus a Lucio, quem Euzojus Arianus Patriarcha Antiochenus Episcopum Alexandrinum ordinaverat, literas Synodicas ad Damasum Papam misit, quibus persecutionem Arianorum, & Gentilium adversus se excitatam narravit. Quibus literis respondens Damasus, literas communicatorias, simul & consolatione plenas scripsit ad Petrum, ut is testatur apud Theodoretum lib. 4. Hist. Eccles. cap. 22. Gliscente tamen persecutione Petrus Romam confugit, & a Summo Pontifice benigne exceptus est. Denique, Sedem suam Alexan-

xandrinam Petrus, expulso Lucio invasore, recuperavit anno cccclxxviii. & anno sequenti misit tres Episcopos ex Ægypto, ut Maximum Cynicum Constantinopoleos Episcopum ordinarent, quemadmodum affirmat Epistola Episcoporum Italiæ ad Theodosium Imperatorem, quam Sirmondus post Baronii mortem publicavit, quæque tom. 2. Conciliorum Generalium pag. 1007. legitur. Doctissimus Valesius in Notis ad lib. 5. Theodreti cap. 8. observat, Baronium fuisse deceptum, dum ex Oratione S. Gregorii Nazianzeni in Ægyptiorum adventum probat Petrum Alexandrinum septem misisse Episcopos ad perficiendam Ordinationem Maximi Cynici. Quod falsum est. Nam hi, qui in hac Oratione S. Gregorii Nazianzeni nominantur, non Episcopi erant, ut sibi persuasit Baronius, sed Nautæ erant, seu potius Governatores Classis Alexandrinæ, qui frumentum ex Ægypto Constantinopolim adveherent. Quo certe argumento evincitur, eos Episcopos non fuisse: neque enim Episcopalem dignitatem decet frumenti advectio. Præterquam quod, in tota illa Oratione S. Gregorii Nazianzeni eos nunquam Episcopos appellat, sed solum Laicos. Obitum Petri II. Patriarchæ Alexandrini recte Baronius cum plerisque aliis assignat anno Christi cccclxxx. atque ita sedisse reperitur annis octo ab ejus electione computatis.

Mortuo Petro II. Patriarcha Alexandrino, Episcopi cum Orthodoxa plebe congregati elegerunt in ejus locum Sacerdotem nomine Timotheum. Hujus Patriarchæ tempore habita est Constantinopoli secunda Œcumenica Synodus adversus Macedonium hujus Urbis Episcopum, qui Spiritum Sanctum Creaturam esse blasphemabat. Timotheus sedit annos quinque, & obiit anno Christi cccclxxxv. Consulibus Arcadio Augusto Orientis, & Bauto Occidentis, sicut optime observat Baronius.

Timotheo Patriarchæ Alexandrino successit Theophilus, qui cum S. Chrystomo Episcopo Constantinopolitano graves, ac diuturnas simulates habuit, de quibus in Colloquiis nostris quinque Ecclesiæ sæculi opportunius differemus. Sedit Theophilus, secundum Baronii & pervulgatam aliorum sententiam, annos xxvii. & obiit anno Christi cccclxxi. Hæc est Series Patriarcharum Alexandrinorum, qui in quarto Ecclesiæ sæculo Sedi Alexandrinæ præserunt, quorum Historiam, ut jam insinuavi, multis tamen fabulis adpersam legere poteris apud Eusebium Renaudor, qui eam summo studio collegit ex Auctoribus Arabicis, Severo Episcopo Aschmoninæ, Michaeli Episcopo Taneos, Ephrem filio Zaraa, Abulbicart, & aliis Anonymis, tum etiam ex editis Eutychio, Elmacino, Abulfaragio, Chronico Orientali &c.

D. Seriem Episcoporum, qui tribus primis sæculis ad Cyrillum usque Sedem Antiochenam tenuerunt, jam in uno e nostris Colloquiis fuisse a re accurate descriptam probe memini. Perge nunc illos recensere Episcopos, qui quarto Ecclesiæ sæculo Ecclesiam Antiochenam rexerunt.

M. Variis in quarto Ecclesiæ sæculo Sedes

Antiochena ab Arianis, qui in eam intrusi sunt, fuit jactata procellis, & quod gravius est, funesto, diroque Schismate Catholicos inter Episcopos exorto, diu, multumque exagitata. Cyrillo Episcopo Antiocheno anno cccii. mortuo successit Tyrannius, qui Ecclesiam Antiochenam gubernavit usque ad annum cccxiii. Tyrannio successit Vitalis, qui præfuit Conciliis Antiocheno, & Neocæsariensi, obiitque anno cccxviii. vel cccxix. Vitalem excepit S. Philogonius, qui in Martyrologio Romano, & in Menais Græcorum die xx. Decembris colitur, & mortuus est anno circiter cccxxi. Theodoretus enim lib. I. Hist. Eccles. cap. 3. ait, eum pro veritatis defensione singulari studium Licinii temporibus declarasse. Porro Liciniana persecutio anno tantum cccxxi. cæpta est. Theophanes, Nicephorus, Zonaras, & S. Hieronymus in Chronico, Paulinus S. Philogoni in Ecclesia Antiochena successorem faciunt. Sed advertere debes cum doctissimo Pagio, hunc Paulinum, qui in Sede Antiochena fuit S. Philogoni successor, diversum plane esse ab altero Paulino, qui post Eustathium Antiochenum Episcopum, e Sede Tyria ad Antiochenam translatus est. Prior siquidem Paulinus, qui, ut jam laudati Auctores testantur, Philogonio successit, ob pravos mores dignitate motus est, ut docet Epistola Synodica Concilii Sardicensis anno cccxlvii. celebrati, in qua dicitur: usque in hodiernum diem in Apostasia permanens, cum Concubinis publice, & Meretricibus fornicatur. Alter vero Paulinus, qui Eustathio Patriarchæ Antiocheno successit, Ariana labe fuit infectus, ut mox dicemus. Sozomenus, & Nicetas quemdam dictum Romanum S. Philogonio in Sede Antiochena successisse scribunt, quia, ut conjicere licet, post Paulini, qui fuit S. Philogonii successor, abdicatorem, Romanus Ecclesiam Antiochenam Pastore viduatam aliquandiu rexit. Paulino in Sede Antiochena successit Eustathius anno cccxxv. Ait enim Theophanes de Synodo Nicæna loquens: Vidua Pontifice Antiochenum Ecclesia, Synodus, idest Nicæna, Eustathium confirmavit Berœæ in Syria Episcopum. Idem scribit Sozomenus lib. I. Hist. Eccles. cap. 2. Sed post triennium Ariani Eustathium Antiochenum egregium Catholicæ Fidei defensorem, falsis impositis criminibus, sede deposuerunt in Concilio Antiocheno indicto anno cccxxvii. sicut testantur Socrates, Sozomenus, & Theodoretus a Baronio laudati. Quin & Constantinus Imperator Eustathium ab Arianis depositum misit in exilium, ubi sancte obiit. Mortuo Eustathio Antiocheno Episcopo, & Eusebio Cæsariensi Episcopatum Antiochenum recusante, Ariani Paulinum ejusdem Sectæ virum ex Episcopatu Tyri ad Sedem Antiochenam transfulerunt. Sed illo post sextum Antiocheni Episcopatus mensem e vivis sublato anno cccxxviii. Ariani in Throno Antiocheno collocarunt Eulalium, qui exiguo admodum tempore supervixit. Unde Paulini, & Eulalii Sedis brevis in causa est, cur nec Socrates l. I. Hist. Eccles. cap. 24. nec Sozomenus l. 2. Hist. Eccles. cap. 19. utriusque mentionem fecerint. Eulalium in Sede Antiochena excepit Euphronius, qui, sicut testatur Theodoretus.

retus lib. 1. Hist. Eceles. cap. 21. anno, & mensibus paucis post ordinationem superstes vixit. Euphronio successit est Placillus, seu, ut alii, vocant, Flacillus Arianus, qui, teste Nicephoro in Chronico, interfuit Concilio Antiocheno ad Encania, & sedit Antiochiæ annis xii. S. Athanasius in Apologia secunda scribit hunc Placillum fuisse unum ex Episcopis Conciliabuli Tyri anno cccxxxv. coacti. Obiit autem Placillus circa annum cccxlii. & in ejus locum subrogatus est Stephanus itidem Arianus, qui anno cccxlvii. præfuit Pseudo-Synodo Philippopolitana ab Arianis convocata, & auctor fuit portentosa calumnia, Legatis Concilii Sardicenis facta, quam his verbis describit S. Athanasius in Epistola ad Solitarios: *Missis, inquit, a Sancto Concilio, Sardicensi videlicet, in legationem Episcopis Vincentio Capue, que Metropolis est Campanie, & Euphrate Agripinæ, que est Metropolis Superioris Gallie, ut pro Synodi decretis Imperator Constantius Episcopos, quos ipse ejecerat, in suas Sedes reverteretur, & in eam sententiam a Constante piensissimo ad fratrem suum literis datis, quibus Episcopos illi commendabat: viri isti mirifici ad quodvis facinus prompti, cum Legatos istos Antiochiæ vidissent, in communi quidem consilio ineunt, sed ita tamen ut Stephanus (Antiochenus Episcopus) fabulam initi consilii peragendam susciperet. Suscepit negotio conducit ille publicam Meretricem in ipsius feriis Sanctissimi Paschatis, eamque nudam per tenebras immittunt in edes Euphrate Episcopi. Narrat subinde S. Athanasius quo pacto facinus illud detectum fuerit, poenæque dederit Stephanus Antiochenus Episcopus illius sceleris auctor. Stephanus igitur, inquit Athanasius, Episcopali dignitate exiit, & in locum ejus sufficitur Leontius ille castratus, seu Eunuchus, non ob aliud quam ut non deesset Hæreses propugnator. Leontius itaque circa annum cccxlix. substitutus est ab Arianis in locum Stephani Antiocheni Episcopi, & sedit annos novem, obiitque anno cccxviii. quo Eudoxius Germanicæ, que Urbs est Syriæ, Episcopus Arianus, Sedem Antiochenam invasit. Verum, cum Anomæis aperte faveret Eudoxius, & hac de causa in Synodis Ancyrana & Seleuciana fuisset damnatus, a Sede Antiochena ad Episcopatum Constantinopolitanum, exauctorato Macedonio illius Urbis Episcopo, ab Arianis translatus fuit die xxviii. mensis Jan. anni cccxix. sicut ex Chronico Alexandrino evincit Cl. Pagius ad annum Christi cccxix. Translato a Sede Antiochena ad Constantinopolitanam Eudoxio, communi Catholicorum, & Arianorum consensu Meletius Episcopus Antiochenus creatus est anno cccxix. Sed Arianis, præterquam opinati fuerant, cum viderent Meletium post suam ordinationem Catholicæ de Trinitate Fidei aperte patrocinari, eum in exilium ejecerunt. Interim, Catholici Antiocheni in duas partes fuerunt distracti. Quidam Catholici dicti *Eustathiani*, eo quod Eustathio Episcopo Antiocheno, de quo paulo ante mentionem fecimus, semper adhererant, & ab Episcoporum, qui post ipsius obitum ab Arianis in Sedem Antiochenam intrusi fuerant, communionem sese omnino separaverant,*

ordinationem Meletii ideo reprehendebant, quod ab Arianis renunciatus esset Episcopus, & hac de causa ejus communionem refugiebant. Alii vero Catholici Antiocheni stabant a partibus Meletii, eo quod fidei causa illum ab Arianis in exilium ablegatum constaret, & Ordinationi ejus assensum a Catholicis præstitum nemo ignoraret. Arianis, expulso, ut dixi, Meletio, Euzosum a capite ad talos Arianum ordinarunt Episcopum Antiochenum. Inter hæc Catholicorum dissidia Lucifer Calaritanus Episcopus Antiochiam venit anno cccxii. & videns Catholicos dictos *Eustathianos* nolle cum Meletio communicare, imprudenter ordinavit Episcopum Antiochenum Paulinum discipulum Eustathii. Quo factum est, ut longo, & peracerbo Schismate inter se divisi fuerint Catholici Antiocheni, aliis nimirum Meletio, aliis Paulino adherentibus. Hoc tamen Ecclesie Antiochena duos inter Episcopos distracta Schisma, de quo jam in præcedentibus nostris Colloquiis egimus, utcumque sopitum est anno cccxxxix. quo ex mutuo Meletii, & Paulini consensu statutum est, ut alterutro vita functo nullus sufficeretur, sed Episcopus superstes Ecclesiam Antiochenam solus gubernaret. Ast, mortuo Meletio anno cccxxxix. Flavianus in ejus locum subrogatus est, sicque recruduit Schisma, quod nec extinctum est in morte Paulini, quæ contigit An. cccxxxix. quia Paulinus, antequam moreretur, sibi successorem delegit Evagrium. Sed mortuo Evagrino anno cccxlii. Flavianus, qui solus remanebat Episcopus Antiochenus, impedivit ne alius in locum Evagrii substitueretur Episcopus. Nihil scilicet duravit Schisma usque ad annum cccxviii. quo Flavianus in communionem Pontificis Romani, & aliorum Episcoporum Occidentalium receptus est. Obiit Flavianus anno cccxv. & juxta Nicephorum in Chronico, & Tabulas Theophanis, Episcopatum Antiochenum gessit annis xxi.

D. Quamvis de origine, & exitu Schismatis Antiocheni plura in præcedentibus Colloquiis dixeris, non intempestive tamen ea, quæ ad illud spectant, summam hic delibasti, ut accuratam exhiberes successionem Episcoporum, qui quarto sæculo Ecclesie Antiochena præfuerunt. Eodem nunc ordine paucis describe seriem Episcoporum, qui Ecclesiam Hierosolymitanam eodem sæculo rexerunt.

M. Describam in primis seriem Episcoporum, qui in quarto sæculo Ecclesiam Hierosolymitanam gubernarunt, dein, atrox seriem Episcoporum Ecclesie Constantinopolitanæ, quæ quarto sæculo Primatum honoris post Sedem Romanam obtinuit, sibi que deinceps vindicavit. Quod ad Hierosolymitanam attinet Ecclesiam, nullus inficias ire potest, eam origine esse omnium Ecclesiarum Matrem, quippe quæ Domini Salvatoris prædicatione, miraculis, morte, Resurrectione fuit decorata, Spiritus Sancti in Discipulos illapsu commendata, & Jacobi Apostoli, qui in ea Sedem Episcopalem fixit, proprio martyrio consecrata, atque illustrata. Sed quamvis Ecclesia Hierosolymitana multis nominibus, & titulis incluta

cluta omnium Ecclesiarum Mater origine esset, illis tamen dignitate non ante stabat, sed Metropoli Cæsareæ Palæstinæ subiecta, suffraganeaque erat. Quam ob rem in Synodis Provincialibus Palæstinæ Metropolitæ Cæsariensis supra Hierosolymitanum Episcopum præsidere, primusque subscribere solitus erat, quamvis Episcopi Hierosolymitani, ex Privilegio ipsis a Concilio Nicæno concessio, in Conciliis Generalibus præcederent omnes Metropolitæ. A tempore autem Concilii Chalcedonensis (quod actione octava universam Palæstinam in tres Provincias distributam Hierosolymitanæ Ecclesie subdidit) ceperunt Episcopi Hierosolymitani pleno jure Patriarchatus potiri. *Juvenalis* quippe Hierosolymorum Episcopus, qui Concilio Œcumenico Chalcedonensi interfuerat, paulo post illius Concilii celebrationem universæ Palæstinæ Synodum ipse indixit, cui ipse auctoritate Patriarchæ præfuit: cum tamen in anterioribus Provincialibus Palæstinæ Synodis præfisset, primusque subscriberet Metropolitanus Cæsariensis, ut jam observavi. Hæc Patriarchica jura Hierosolymorum Ecclesie Synodus quinta Œcumenica postea confirmavit, asseruit, ac vindicavit.

Veniamus nunc ad successionem Episcoporum, qui quarto sæculo Ecclesiam Hierosolymitanam rexerunt. Anno ccc. *Hermon* subiectus fuit Episcopus Hierosolymitanus, & anais circiter decem hanc Ecclesiam gubernavit. Ei successit *Macarius*, qui interfuit Concilio Nicæno primo Generali, obiitque anno cccxxxv. *Macarius* eodem anno excepit *Sanctus Maximus* insignis fidei Confessor, cui tempore persecutionis Maximini dexter oculus avulsus est, & poplites exusti sunt, ipseque ad metalla damnatus. Concilio Antiocheno, in quo depositus fuit S. Athanasius, interesse noluit S. Maximus, & a Pseudo-Synodo Tyria indignatus recessit, quod Eusebiani in perniciem Athanasii conjurati leges omnes æquitatis in dijudicanda illius causa temere violarent. Concilium Palæstinæ anno cccxlix. convocavit, in quo se communioni S. Athanasii adherere constanter professus est. Quod ægre ferens *Acacius* Cæsareæ Episcopus Arianus, & totius Palæstinæ Metropolitanus eum anno ccccl. Sede deposuit eo prætextu, quod *Maximus*, cum Metropolita non esset, nulla ab ipso obtenta licentia, vicinos Palæstinæ Episcopos in Concilium evocasset. S. Hieronymus in Chronico anno Abrahami 2566. juxta Editionem Pontaci, qui cum mense Septembris anni ccccl. absolvitur, hæc habet: *Maximus quadragesimus post Macarium Hierosolymorum Episcopus moritur, post quem Ecclesiam Arianus invadunt. Primum Cyrillus, Eutychius &c. Theodoretus etiam lib. 2. Hist. Eccles. cap. 26. sic scribit: Maximo ad immortalem vitam translato, Cyrillum Episcopalem gratiam promeruisse. Verum, ut doctè observat Clar. Pagius ad annum Christi ccccl. certum est, *Maximum* Episcopum Hierosolymitanum non esse mortuum anno ccccl. sed solum fuisse hoc anno Sede sua Hierosolymitana ab Arianis depositum. Libelli siquidem Synodici Auctori scribit, Athanasio, & Paulo ad sua Ovilla*

proficiscentibus, impietatis Antesignanos, seu Arianos, Synodum Hierosolymis Hæreticam coegisse, & *Maximum* Hierosolymorum Sede abjecisse. Huic libelli Synodici Auctori suffragantur *Sozomenus* lib. 4. Hist. Eccles. cap. 20. *Theophanes* in Chronico. Viventi ergo adhuc S. Maximo, sed Sede sua anno ccccl. ab Arianis deposito subrogatus est S. *Cyrillus*, non vero anno cccclv. ut visum est *Henschenio* die xviii. Martii in vita S. Cyrilli Hierosolymitani, & *Papebrochio* in Historia Chronologica Patriarcharum Hierosolymitanorum. *Acacius* Cæsariensis Episcopus in Concilio a se convocato anno cccclvi. S. Cyrillum Hierosolymorum Sede deposuit, quod de jure Metropolitanano adversus ipsum controversiam movisset, & in ejus locum substituit *Eutychium*, sed *Eutychio* Episcopatum renuente, *Acaciani* Hierosolymorum Episcopum constituerunt *Herennium*, cui successit *Heraclius*. Sed mortuo Constantio Imperatore Arianorum fautore, Sedi suæ restitutus est S. *Cyrillus* Hierosolymitanus, & suam Ecclesiam pacifice rexit usque ad Imperium *Valentis*, sub quo Principe Arianis iterum in exilium amandatus est; rediit tamen ad suam Ecclesiam anno cccclxxxix. Ex tot malis, & persecutionibus, quibus ab Arianis exagitatus est S. *Cyrillus* Hierosolymitanus, facile colligi potest, deceptum fuisse S. Hieronymum, dum in suo Chronico S. Cyrillum inter Arianos reponit. Obiit S. *Cyrillus* Hierosolymorum Episcopus anno cccclxxxvi. & successorem habuit *Joannem*, qui ad finem usque quarti sæculi Hierosolymitanam gubernavit Ecclesiam.

D. Promissisti, te ad successionem Episcoporum Ecclesie Hierosolymitanæ adjecturum seriem Episcoporum Ecclesie Constantinopolitanæ, quæ quarto sæculo, ob primatum honoris, quo post Sedem Romanam donata est, celebrior evasit. Exhibe itaque nunc seriem Episcoporum, qui quarto Ecclesie sæculo Sedem Constantinopolitanam obtinuerunt.

M. Constantinopolitana Civitas, olim *Byzantium* dicta, a Constantino Magno Imp. quamplurimis ornamentis nobilitata, atque amplificata suam ab ipso nomen accepit, & Solium, Sedesque Imperii fuit constituta. Illius Urbis Episcopi, qui antehac erant dumtaxat Suffraganei Metropolitanæ Heracleæ Thraciæ Antistitis, Orientalium Imperatorum, qui Constantinopoli suam Sedem fixerunt, auctoritate freti obtinuerunt a Patribus Concilii Constantinopolitani primi Generalis anni cccxxxix. celebrati, ut deinceps Episcopus Constantinopolitanus haberet prioris honoris partes post Romanum Episcopum, eo quod Constantinopolis sit nova Roma. Sic enim habet Canon tertius illius Concilii. Eundem Canonem, contra quam Nicæno decreto fuerat constitutum, renoverunt, novumque ei robur addiderunt ambitiosi Græci in Concilio Chalcedonensi, nec solum honoris Primatum, sed etiam Jurisdictionem, seu Jura Patriarchica in Provincias Asiæ, Ponti, & Thraciæ Episcopo Constantinopolitano adjudicarunt. Huic tamen novæ Episcopi Constantinopolitani auctoritati intercesserunt Romani Pontifices *Leo M. Gregorius M. Nicolaus*

laus I. & Leo IX. Sed Innocentius III. Papa in Concilio generali Lateranensi Sedi Constantinopolitanae indulist secundum in Ecclesia dignitatis gradum. Hoc obiter annotato, texenda est modis series Episcoporum, qui quarto saeculo ad Thronum Constantinopolitanum fuerunt euecti. In primis *Metrophanes* creatus fuit Episcopus Constantinopolitanus anno cccxvii. & sedit annos decem, sicut testantur *Theophanes*, & *Nicephorus* in Chronico. Quapropter, stare haud potest sententia Baronii, qui absque ulla vetusti Codicis auctoritate, & contra veterum Scriptorum fidem, tempora Sedis *Metrophanis* Episcopi Constantinopolitani intra triennium coarctavit. Illustrissimus quippe *D. de Marca lib. 5. de Concordia Sacerdotii, & Imperii cap. 3.* & ibidem *Baluzius* in doctissima quam edidit, observatione, erudite ostendunt, *Metrophanem* Episcopum Constantinopolitanum tempore Synodi Nicenae, hoc est anno cccxxv. adhuc in vivis fuisse, idque aperte evincunt ex *Gelasio Cyziceno*, qui circa annum cccclxxx. Acta Concilii Niceni collegit, seque ex tertio libro *Eusebii* de vita Constantini haec ad verbum transcripsisse profitetur: *Ipsa ex Hispaniis valde celebratus Osius, obtinens locum magnae Romae Episcopi Silvestri, cum Presbyteris Romae Vitone, & Vincentio, cum plurimis aliis confidebat. Urbis autem illius, quae nunc imperat Episcopus, Metrophanes nomine, propter senectutem non adfuit, ipsius vero Presbyteri, qui aderant, locum eius supplere; quorum unus erat Alexander, qui Urbis Episcopatum post Metrophanem adeptus est.* Ex quibus verbis liquido patet, *Metrophanem* Urbis, quae tunc imperabat, seu Constantinopolitanae, Episcopum tempore Synodi Nicenae adhuc in vivis fuisse, ejusque loco interfuisse huic generali Synodo illius Presbyteros. *Metrophanes* morbo, & aetate fessus, statim post Synodum Nicenam vita functus est, & in ejus locum substitutus est *Alexander*, ad quem directa dicitur *Alexandri* Patriarchae Alexandriae contra Haereticum Arium Epistola, quae extat apud *Theodoretum* lib. 1. Hist. Eccles. cap. 3. cum hoc titulo: *Alexandri Episcopi Alexandrini Epistola ad Alexandrum Episcopum Constantinopolitanum.* Verum, etsi ex *Theodoreto* certum sit, *Alexandrum* Patriarcham Alexandrinum direxisse Epistolam ad cognominem suum, id est, ad *Alexandrum*, non convenit tamen inter peritos Criticos, hunc *Alexandrum*, ad quem directa est illa Epistola, fuisse *Alexandrum* Episcopum Constantinopolitanum. At enim, merito observat *Baluzius*, titulum illius Epistolae mox a me relatum, & qui nunc legitur in editionibus Graecis Historiae Ecclesiasticae *Theodoretii*, non extare in duobus vetustissimis Codicibus MSS. Bibliothecae Regiae, in quibus eadem continetur Historia, neque in Editione Graeca *Roberti Stephani*; Editionem vero Latinam *Basilicae* editam anno mdcxi. haec tantum in titulo habere: *Epistola missa ab Alexandro Alexandrino ad suum cognominem.* Ex quo concludi potest, illius Epistolae titulum, qui nunc legitur in Editionibus Graecis *Theodoretii*, non esse a

Theodoreto appositum, sed adjectum a *Librario*, vel ab *Interprete*. *Alexander* Episcopus Constantinopolitanus obiit anno cccxl. eique successit eodem anno *Paulus*, cujus electionis occasione orta est Constantinopoli seditio, & *Plebs* in duas partes divisa palam ad opinionum contentiones, & ad pugnam usque prorupit, & *Arianis* quidem studium fuit, ut *Macedonius* ordinaretur, *Homousiani* (id est *Catholici*) contra operam dabant, ut *Paulus* crearetur Episcopus, idque tandem prevaluit. Existimavit *Baronius*, *Paulum*, postquam anno cccxl. ordinatus fuisset Episcopus Constantinopolitanus, in exilium ab Imperatore *Constantio*, agentibus *Eusebianis*, in Pontum fuisse relegatum. Sed *Cl. Pagius*, ad annum cccxl. luculenter ostendit, primum illud exilium non a *Constantio*, sed a *Constantino Magno* fuisse circa annum cccxxviii. *Paulo* irrogatum post Concilium Antiochenum, in quo depositus fuit *Eustathius* Episcopus Antiochenus, quo tempore *Paulus* necdum Episcopus erat, sed dumtaxat Presbyter. *Paulus* igitur electus Episcopus Constantinopolitanus anno, ut dixi, cccxl. ab Imperatore *Constantio* Episcopatu fuit statim dejectus, sed non in exilium missus, sicut his verbis diserte testatur *Socrates* lib. 2. Hist. Eccles. cap. 7. *Imperator, seu Constantius, non multo post Constantinopolim ingressus, ob illius, seu Pauli, ordinationem, gravissima exarsit ira: collectoque Arianorum Antistitum Concilio, Paulo quidem Episcopatum ademit, Eusebium vero ab Urbe Nicomedia translatus Constantinopoleos Episcopum designavit.* Ubi aperte *Socrates* *Paulum* Constantinopolitano Episcopatu ejectum, non exilio multatum dicit. Deposito itaque *Paulo* legitimo Episcopo Constantinopolitano, *Eusebium Nicomediensis* Sedem Constantinopolitanam eodem anno invasit, & mortuus est anno cccxli. Post illius obitum *Paulus* a Constantinopolitanis in Sedem restitutus fuit, sed ab *Eusebianis* *Macedonius* in *Eusebii* locum subrogatus est. Quae res ingentem tumultum Constantinopoli excitavit. *Hermogenis* siquidem Magistri Militum a *Constantio* Imp. missi, ut *Paulum* Constantinopoli expelleret, domus a *Plebe* incensa est, ipseque miserum in modum pedibus tractus, ac truncatus, a Populo in Mare praecipitatus est. Quo audito Nuntio, Imperator *Constantius*, abjecta omni cunctatione, magnisque itineribus Constantinopolim venit, & *Paulum* Sede dejectum catenis ferreis vincitum *Singarum* relegavit, & aliquanto post inde *Emesam* transtulit. Sunt qui dicunt, *Paulum* missum fuisse postea *Cucufum* Armeniae Oppidum, ubi fuerunt elisa laqueo fauces (a). At *Cl. Pagius* existimat, *Paulum*, antequam celebraretur Concilium Sardinense, hoc est, ante annum cccxlvii. a *Singarum*, & *Emeseno* exilio solum, Episcopatus sui Constantinopolitani locum recipisse a *Constantio* Imperatore, vel in gratiam Constantinopolitanorum, qui eum praecipuo quodam amore prosequerantur, vel ob metum fratris sui *Constantis* Augusti, qui frequentibus literis ad *Constantium* missis, ut *Paulus*, *Athanasius*, & reliqui Orientis Episcopi Orthodoxi suas in Sedes restitue-

rentur, obnixè postulaverat. Quamvis autem *Paulus* suae Sedi Constantinopolitanae fuerit restitutus ante celebrationem Concilii Sardinensis, non interfuit tamen huic Concilio, quia cum ad illud proficendum sese accingeret, detentus est a Civibus Constantinopolitanis, eo quod pertimescerent, ne ab *Arianis* per insidias interficeretur. Migravit ex hac vita *Paulus* anno cccli. & colitur a Graecis die vi. Septembris, a Latinis vero die vii. Junii. *Macedonius*, quem *Eusebiani* anno cccxlii. ordinaverant Episcopum Constantinopolitanum, exautoratus est anno ccclx. in ejus locum ab *Arianis* suffectus est *Eudoxius* *Arianus*, qui decessit anno cccxxx. *Eudoxio* successit *Demophilus* pariter *Arianus*. Sed *Catholici* Constantinopolitani *Evagrium* sibi Episcopum praefecerunt. Post cujus mortem *S. Gregorius* *Nazianzenus* anno cccxxxix. Constantinopolim sese contulit, ubi per triennium Episcopale munus obivit. Sed cum in Concilio generali Constantinopolitano primo nonnulli Episcopi contra ipsum tumultus excitassent, *S. ille* Antistes pacis, & quietis amans Sedi Constantinopolitanae nuncium remisit, & in ejus locum substitutus est *Nestarius*, qui Constantinopolitanam rexit Ecclesiam usque ad annum cccxcvii. eique successit *Sanctus Chrysostomus*, de quo in nostris quinti saeculi Colloquiis plura, auxiliante Deo, dicemus. Habes nunc compendiose contextam seriem, ac successionem Episcoporum, qui praecipuas Ecclesiae Sedes, Romanam videlicet, Alexandrinam, Antiochenam, Hierosolymitanam, & Constantinopolitanam quarto saeculo tenuerunt, & graviora Ecclesiae negotia eodem saeculo tractarunt. Superest modo, ad habendam plenam, & integram Historiae Ecclesiasticae quarti saeculi notitiam, ut exponam qualis fuerit Doctrina, Disciplina, & Moralis hujus saeculi. Sed ne longius nostrum protrahatur Colloquium, hoc de argumento opportunius in proximo nostro Colloquio differemus.

„ (a) *Socrates* quidem nihil habet de prioribus exilio *Pauli* Constantinopolitani, sed ejus silentio praevallet auctoritas fragmenti *Athanasiani*, de quo in superiori mea adnotatione, cujus verba hic integra referre libet: *Conf. Hypatio, & Catulino* (hi *Consules* non apparent in factis, poterant tamen esse suffecti) *Theodorus, Narcissus, Georgius cum ceteris* (*Arianis*) *vennerunt Constantinopolim, volentes persuadere Paulo communicare sibi; qui nec verbo eos suscepit, etiam eorum salutationem anathematizavit.* Assumentes itaque secum *Eusebium Nicomediensem, insidiati sunt beatissimo Paulo; & interponentes calumniam illi de Constante & Magnentio expulerunt Constantinopoli, quo possent locum habere, & Arianam haeresim seminare: populus autem Constantinopolitanus, desiderans beatissimum Paulum, perseveravit seditionibus, ne duceretur ex urbe, amantes sanam doctrinam ejus. Imperator sane iratus comitem *Hermogenem* transmisit, ut eum efficiat. Quo audito populus per mediam civitatem extraxit *Hermogenem; ex qua re occasione nata adversus Episcopum exiliave-* Graveson Hist. Tom. I.*

„ runt eum in Armenia. En hic expulsiones „ geminas.

COLLOQUIUM VI.

Da Doctrina, Disciplina, & Morali
quarti Ecclesiae saeculi.

D. Licet ex ea, quam in praecedentibus nostris Colloquiis exhibuisti, successionem Episcoporum, qui in quatuor prioribus Ecclesiae saeculis praecipuas Sedes tenuerunt, & a quibus inviolabili temporum serie ad nos usque propagata est Catholicae Fidei doctrina, facili negotio confutari possint Haeretici, quibus solemne est calumniari Ecclesiam Romanam, quod a doctrina priorum Ecclesiae saeculorum deflexerit: Nihil secius rem longe mihi gratissimam faceres, si doctrinam Fidei, quam *Catholici* quarti Ecclesiae saeculi constanter ubique professi sunt, paucis in praesentia exponere velles.

M. Fidei Catholicae doctrinam nulli mutationi, aut vicissitudini temporum obnoxiam esse, etsi tam certum sit, quam quod maxime, aliquando tamen necessum est, ut, dum ab Haereticis oppugnatur, variisque insulcatur erroribus, clarius, ac distinctius proponatur, explanetur, atque in evidentiori luce, quantum fieri potest, constituatur. Hinc saepius Ecclesia ad compescendas erumpentes Haereses solita est novas quidem, sed appositas excogitare, ac consecrare voces, quibus avita Fidei Catholicae doctrina illibata conservetur, eamque Fideles ab erroribus, quos Haeretici quaquaversus temere spargunt, discernere possint, & ab his penitus abstineant loquendi formulis, quae ob ancipitem, dubiamque significationem in pravum, & peregrinum sensum detorqueri queant. Sic secessit Ecclesia in quarto saeculo circa doctrinam Fidei de Sanctissima Trinitate, & de Incarnatione Domini nostri Jesu Christi, quam id temporis Haeretici totis suis viribus aggressi sunt. Patres quidem Concilii Niceni primi Oecumenici notam non invexerunt doctrinam circa Fidem, quam de Sanctissima Trinitate fideles ab ipsis Ecclesiae primordiis jugiter tenuerunt, sed, cum probe nossent fraudes, & artes *Arianorum*, qui voces ad ineffabile Mysterium Trinitatis explicandum haecenus in Ecclesia usitatas sinisteris interpretationibus suum sensum haereticum praepostere deflectebant, consultissimum ad omnem tergiversandi Haeticorum cohibendam licentiam esse judicarunt hanc vocem *homoion*, seu *Consubstantialis*, usurpare, & communi adoptare suffragio, ut *Catholici* fidem suam, qua credunt, Verbum Divinum esse ejusdem substantiae cum Patre, per hanc unam vocem actutum exprimerent possent, sibi que caverent ab illis hominibus, qui hanc vocem aut repudiabant, aut ea uti pertinaciter detrectabant. Eodem motivo ducti Sancti Patres, & Scriptores Ecclesiastici, qui quarto saeculo in *Arianos* calamum acuerunt ad propugnandam Catholicam Ecclesiae Fidem, coacti sunt Sanctissimae Triadis Mysterium uberius dilucidare, va-